

attulerit. Quo in genere ob egregia promerita singularem quamdam deberi laudem novimus Seminario Quebecensi; in quo spirare etiamnum videtur salutaris industria Auctoris sui, viri immortali memoria dignissimi, cuius propterea nomen iure isti adhæret Lyceo. Sed illud Nobis est, ut debet, periculum, quod Sedis Apostolicae præcipue vos et sollerter in hac etiam caussa providentiam memori cum gratia recolitis, et maternæ exhortationis vocem ad cumulandum istius faustitatis fructum expeditis. Nos certe non secus ac Decessor Noster illustris, Lavallianum Institutum studio omni benevolentiaque prosequi numquam destitimus. Consuevimus etiam eximiam vestram suspicere vel diligentiam vel præscriptionum Nostrarum observantiam, ut in eo tum litterarum et artium elegantia floreret, tum graviorum disciplinarum sana præceptio. In quo placet admodum, præcipua vobis cura esse adolescentes sacri ordinis, nimur ut tales existant, quales ad haec tempora pernecesse est esse probe a doctrinis instructos et munitos. Quod autem te, Venerabilis frater, significasti velle, non clericos modo, verum laicos etiam, tum alumnos tum præter alumnorum numerum edoceri ius Ecclesiæ publicum, valde hoc tuum Nobis probatur consilium. Siquidem habebunt inde catholici homines prompta et parata arma ad defendendam, quam vident ubique in discrimen adductam, libertatem dignitatemque Ecclesiæ. Itaque in navitatem sedulitatemque vestram comprobatio rectius Nostra quam cohortatio convenit: nec vero dubitamus, quin pariter elaboraturi sitis in posterum, atque adhuc fecistis. Prestat ut catholicorum opes, quod vehementer cupimus, vobis suffragari pergent: hoc persuaso incrementa Lycei magni Lavalliani quam maxime esse cum Ecclesiæ Canadensis utilitatibus coniuncta. Auspicem divinorum munerum et singularis benevolentiae Nostræ testem tibi, Venerabilis frater, ceterisque Episcopis collegis tuis, item moderatoribus Lycei magni, doctoribus decurialibus alumnisque universis Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die VII Iunii Anno  
MDCCCCII,

Pontificatus Nostri vicesimo quinto,

LEO P. P. XIII.

Vén  
Not  
dont v  
année  
sous v  
et par  
être cé  
n'ignor  
des, on  
ques.  
est uti  
rappel  
nécess  
quel s  
période  
louang  
au sém  
taire d  
immor  
Univer  
ment, e  
prévoy  
vous at  
ronnen  
décess  
citude  
égalem  
et votr  
gance d  
ces plus